



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In  
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij  
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

**Peñafiel, Alonso**

**Lugduni, M.DC.LXXIIX.**

Introductio Ad Disputationem De Deo optimo maximo, problematis  
cuiusdam positioni, & solutioni innitens.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

# INTRODVCTIO

AD

## DISPVATIONEM DE DEO

optimo maximo, problematis cuiusdam  
positioni, & solutioni innitens.

**Q**UID euidentius, quid clarius, quid  
denique notius Sole? quid idem  
ignotius ipso potest in hoc longe-  
tate patente orbe terrarum reperiri?  
nullus enim adeo cæcitiens, adeo oculorum lu-  
mine diminutus inuenietur, qui vel in ipsis fon-  
tibus cristallinis, utpote pellucidis, naturæ spe-  
culis fulgentissimis, inter comantes sylvas, viri-  
dantes, ac gemmantis arbores, in tervitentes flo-  
res, stillantes Aprilis gemmas, inter sydera de-  
nique hortorum suavi quidem murmure decur-  
rentibus non adspexerit, viderit, oculis non vsur-  
pauerit: & tamen ipsum non nisi coniuuentibus,  
atque nictantibus oculis potuit intueri; cuius li-  
quidissimi ac radiantes luminis splendores ex op-  
posito orti, ad fontes quasi impingentes inde con-  
torti resiliunt splendiores: proptereaque luce  
ipsa, & claritate qua decoratur, ac manifestatur,  
simul defecit, & occultatur ne hebeti oculorum  
obutu penitus percipitur; quia aduersis soli ra-  
diis acies nostra sensusque vincitur, & hæbeter-  
tur, ipseque quo lucidior, & liquidior in se ipso,  
eo vel lineu, sine vlla terguersatione fugit aspe-  
ctum.

Quis item si ex oculis gradum faciamus ad in-  
tellectum ignoret nihil esse horum, quæ aspectu  
sentiuntur præclarior, & diuinæ potestatis, ac ma-  
gnificentie illustrius monumentum, quam ipsum  
splendentis dei moderatorem, ac parentem cun-  
ctarum rerum procreatorem, & conservatorem  
inter sydera principatum obtinentem, nihil est  
enim eo vel aspectu pulchrius, vel efficacitate  
potentius, vel usu & utilitate copiosius: hic  
namque tenebras fugat rerum colores, vel facit  
vel ostendit, cuncta exhilarat, omnium animan-  
tium oculos, atque animos insatiabili voluptate  
complet, ac perfundit, & mundo salutarem maxi-  
meque vitalem ac vniuersas naturas augentem  
nutricantem sensusque afficientem calorem largi-  
tur, ex quo factum est, ut à viris sanctissimis æque  
ac sapientissimis Hieronymo, Chrysostomo, ac  
Dionysio diuini numinis expressa imago, rerum  
caducarum parens, & altor rite nominetur. Verba  
Dionysij de diuinis nominibus, hæc sunt, [Solem  
facit euidentem, & expressam diuinæ bonitatis  
imaginem: tum quia Sol non cogitatione, aut  
electione, sed eo ipso, quod est illuminat omnia,  
quæ pro modo suo participationem lucis admit-  
tunt, ita diuinum bonum ipsa sua substantia om-  
nibus quæ sunt pro capta, cuiusque totius boni-  
tatis inijcit radios] & infra cap. 5. 4. parit, ait;  
I. P. Tom. I. I.

[Sol vnus cum sit sensibilibus rerum substan-  
tias & qualitates vniforme infundendo lucenti  
renouat, nutrit, seruat, perficit, discriminat, coniun-  
git, refouet, secundat, auget, immutat, firmat, viuifi-  
catque omnia, & quodlibet ex omnibus modis  
sibi congruo vnus eiusdemque solis est particeps  
plurimorumque participationum Sol vnus in se  
ipso causas in se vniformiter habuit] sic Dionysius.

Hæc inquam omnia quis non cognoscit, quis  
vilo modo potest ignorare de sole; nihilominus  
tamen ipsius essentiam, substantiam, & naturam,  
nullus etiam quantumvis sapientie radiis circun-  
fusus potest penetrare, nullus Philosophus doctus-  
que Magister in lycæis, & academis celeberrimis  
reperitur, qui hæc omnia pro dignitate simul  
audeat explicare.

Nihil igitur sole notius, nihil euidentius sacro-  
sanctæ diuinitatis monumento; nihil tamen ipso  
diuinæ lucis fonte sole occultius & ignotius.

Ita etiam nihil notius, perspicuius, nihil cla-  
rius, & manifestius Deo optimo maximo splen-  
denti iustitiæ sole, nihil tamen ignotius, occultius  
explicatu cognituque difficilior ipso [nulla, in-  
quit Cicero; ipsis in hominibus gens est, neque  
tam immanis, neque tam fera quæ non etiam  
si ignoret qualem habere Deum deceat, tamen ha-  
bendum sciat; Dei enim notionem in hominum  
animos impressit, ingenerauitque ipsa natura;  
vnde nemo hominum tam hæbes & stupidus in-  
uenietur, tam insensibilis & inanimis, cuius men-  
tem non imbuerit diuinitatis opinio] quam obrem  
ut inquit Chrysostomus hæc scitem diuino  
numinis afflatu concitata Dei solium & sedem in  
sole sitam, ac collocatam decantat Psal. 186. *in  
sole posuit tabernaculum suum*, ac si deceret Deum  
palam suæ magnitudinis, ac dignitatis præstantem  
maiestatem ipsa solis luce clarius, ac euidentius  
omnibus procul abiectis ignorantie tenebris pa-  
refacere, quoniam prouerbiali more ait Guiliel-  
mus Cepreus 70. *in sole* significat idem ac in  
cognitione manifesta, quemadmodum in scriptura  
passim legitur in luce faciam verbum istud in  
spectu omnis Israël, & in conspectu solis; quæ  
in tenebris dixisti in lumine dicentur [quid enim  
(inquit) minus felix in Octauio potest esse  
tam apertum, tam confessum, tamque perspi-  
cium cum oculos in cælum substuleris, & quæ  
sunt infra circaque lustraueris, quam esse aliquod  
numen præstantissimæ mentis, quo omnis natura  
inspiretur, moueatur, alatur, gubernetur cælum ip-  
sum; vnde quam late tenditur, quam rapide volui-

R 2

tur, vel quod in nocte in astris distinguitur, vel quod in diem sole lustratur; iam scies quam sit in eo summi moderatoris mira, & diurna libratio, unde & annum ut solis ambitus faciat & mensem, vide ut Luna actu senio labore circum agat: quid tenebrarum, & luminis dicam recu- santes vices; ut sit nobis operis & quietis alter- na reparatio, relinquenda vero Astrologis proli- xior de syderibus oratio, vel quæ regant cursum navigandi, vel quæ orandi metendique tempus inducant, quæ singula non modo ut crearentur fierent, disponentur summi opificis, & perfe- ctæ rationis egerunt moderamine, verum etiam sentiri, perspicui, intelligi, sine summa solertia, & ratione non possunt quid cum ordo temporum hac frugum stabili varietate distinguitur, nonne authorem suum parentemque testatur? Verque cum suis floribus & æstas cum suis messibus, & Autumni maturitas grata, & hiberna oliuitas ne- cessaria, qui ordo facile turbaretur, nisi maxima ratione confisteret sic ille, quibus consonant non dicam aurea, sed geminea animosi poetæ Claudia- ni carmina in Rufinum.

*Nam cum dispositi quæsissem fœdera mundi,  
Præscriptosque maris fines amicus meatus,  
Et lucis noctisque vices tunc omnia iubar.  
Consilio firmata Dei, qui lege moveri,  
Sydera, qui fruges diverso tempore nasci,  
Qui variam febem alieno combureret igne  
Compleri solemque suo porrexerit undis,  
Littora tellurem medio liberauit axe.*

[Quid enim (ait eloquentiæ parens Philosophus Marcus Tullius) potest esse tam apertum, tamque perspicuum, cum cœlum suspeximus cœlestiaque contemplati sumus, quam esse aliquid numen præstantissimæ mentis, quo hæc regantur. Quod ni ita esset, qui potuisset assensu omnium dicere Ennius?

Aspice hoc sublime candens quem inuocant omnes Iouem.

Illum vero, & Iouem, & Dominatorem rerum, & omnia nunc regentem, & ut idem Ennius.

Patrem Diuumque hominumque.

Et præsentem, ac præpotentem Deum, quod qui dubitat haud sane intelligo, cur non idem sol sit, an nullus sit dubitare possit. Quid enim est hoc illo evidentius? quod nisi cognitum comprehensumque animis haberemus, non tam stabilis opinio permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec una cum sæculis ætatibusque hominum inueterare potuisset, etenim videmus cæteras opiniones fictas atque vanas diuturnitate extabuisse, quis enim Hippocentaurum, aut chimæram putat, quæve anus, tam excors inueniri potest, quæ illa quæ quondam credebantur portenta apud inferos extimescat? Opiniorum enim commenta delet dies naturæ iudicia confirmat] sic ille lib. 2. de natura deorum.

Quod miro, & abundantius verborum flumine fœcundauit Virgilius 4. Georgicorum ibi.

*Deum namque ire per omnes,*

*Terrasque tractusq; maris, cœlumq; profundum.*

*Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne fe-  
rarum.*

*Quemque sibi tenues nascentem arescere vitas.*

Plato & ex eo Virgil. *Ænei* 6.

*Spiritus inuis alit totumque infusa per actus,*

*Mens agit at mollem, & magno se corpore  
miscet;*

*Inde hominum pecudumque genus vitæque vo-  
lantum.*

Lucanus lib. 2.

*Impiter es quodcumque vides, quocumque mo-  
ueris.*

Sed clarius omnibus Manilius, lib. 4.

*An dubium est habitare Deum sub pectore  
nostro,*

*In cœlumque redire animas cœloque venire.*

Præclare & Tertulianus in Apologetico aduer- sus gentes, cap. 17. [Quod colimus nos (inquit) Deus vnus est, qui totam mollem vitam cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum verbo quo iussit, ratione qua disposuit, virtute qua potuit, de nihilo expressit in ornamentum euidentem, ac manifestam cognitionem maiesta- tis suæ; unde & Græci nomen mundo *κοσμος* ac- commodauerunt, inuisibilis est, & si videatur, in- comprehensibilis, & si per gratiam repræsentetur, inæstimabilis, & si humanis sensibus æstimer, adeo verus, & tantus est, cæterum quod videri communiter quod comprehendere, &c. clarius ta- men Arnobius, lib. 1. contra gentes, prope medium, [quisquam ne est, inquit, hominum qui non cum istius Principis notione diem primæ natiuitatis intrauerit? cui non sit ingenitum, non affixum, imo ipsis pene ingentibus matris non impellum, non insitum esse Regem, ac Dominum cunctorum, quæcumque sunt moderatorem; ipsa denique his- cere si animantia muta potuissent, si in lingua- rum nostrarum facilitatem solui, imo si arbores glebæ laxa sensu animata vitali vocis sonitu qui- rent, & Verborum articulos integrare, ita non duce natura, & magistra non incorruptæ simpli- citatis fide, & intelligerent esse Deum & cuncto- rum dominum solum esse clamarent:] sic ille, cuius vestigiis insitens Manilius in hæc miram eloquentiam spirantia carmina prorupit, lib. 1.

*Ac mihi tam præsens ratio non ulla videtur,*

*Qua pateat mundum diuino numine verri,*

*Atque ipsum esse Deum nec forte coisse ma-  
gistra,*

*Ut voluit credi, qui primus menia mundi,*

*Seminibus struxit minimis inque illa resoluit.*

*Æquis, & maria & terras, & sydera cœli,*

*Soluentemque altis conspexit cuncta reueris.*

*In sua principia, & rerum mutare figuras.*

*Ætheraque immensis fabricantibus orbibus.*

*Quis credat tantas operum sine numine molles.*

*Ex minimis cœoque creatas fœdere mundum.*

*Si fors ista dedit nobis fors ipsa gubernet,*

*At cur dispositis vicibus consurgere signa,*

*Ut velut imperio præscriptos reddere cursus,*

*Cernimus, aut illis properantibus ulla relinquit.*

*Cur eadem æstiuas exornant sydera noctes.*

*Semper, & hibernas eadem certamque figuram,*

*Quisque dies reddit mundo certamque reliquit.*

Sic ille.

Quibus omnibus aperte, ac manifeste nostræ primæ propositionis veritas apprime stabilitur, nihil videlicet Deo notius esse; nihil autem ipso ignotius, & occultius existere cherubicus ille Do- ctorum Doctor Augustinus clare ac manifeste pa- tefecit in meditationibus [est, inquit, quem nec mens attingit, quia incomprehensibilis, neque intellectus quia inuelligabilis, nec sensus percipit, quia inuisibilis, nec lingua enunciat quia ineffa- bilis, neque scriptura explicat quia inexplicabi- lis.] sic August.

Ratione cuius Nazianzenus *tract. de fide*, Deus est quod cum dicitur nō potest dici, cum æstimator non potest æstimari, cum definitur ipsa definitione crescit, quia cœlum manus sua componit, quæ omnia omnem mundi ambitum concludit, quæ omnia & nesciunt, & metuendo sciunt, cuius nomini & virtuti

# Introductio ad Disput. XVII. De Deo 133

virtuti famulatur hic orbis, & ipsa elementorum sibi succedentium momentanea vicissitudo testimonium perhibet.

Rem magnis (inquit Fulbertus Episcopus Caenotensis) involutam obsecratis, & ad explicatum longe impeditissimam laboriosissimamque rem difficilem! O Deus, atque omnium difficillimam cognoscere ex me ardetis, cum diuinitatis naturam, attributa & proprietates in medium propallari à me nunc expetitis, in qua non parum opera consumpserunt homines cum ingenio accuratissimi, tum studio & doctrina abundantissimi, qui (fatendum est enim) quam multa præclare, tum non pauca stulte cartis ad posterum propagarunt, præstabat autem in mysterio non solum à sensibus, verum etiam à cogitationibus remotissimo candide fateri ignorantiam, quam inscite philosophando suam toti terrarum orbi proderet insipientissimam sapientiam, cum enim non paulo facilius, multo etiam verius, certius, exploratius sciri possit quid Deus non sit, quam quid tandem sit, & quali potissimum finitione eius natura qua nihil involutus euoluenda sit, qui istiusmodi cognitionem sibi vehementer obsecrat, ac perdifficilem esse testificatur, is simul magis se intelligentia percipere, quid Deus non sit, quam quid sit nonne conficitur? atque eo amplius id confiteatur oportet, qui plus in huiusmodi indagatione temporis collocavit.

Perfime quin plenius quiddam Augustinus docuit, excedit supereminentia deitatis non solum vstrati eloquii nostri, sed etiam intelligentiæ facultatem; verus enim cogitatur Deus, quam dicitur, & verius est quam cogitur, non parua autem notitia pars est si antequam scire possimus quid sit Deus, possimus scire quid non sit, quapropter abyssum seu pelagus nominat Plato Deum, quia ipsum investigare difficillimum, vbi autem inuestigaueris in vulgus enuntiare, vt sic dicam impossibile, quapropter non debet aspernari illud Simonidis poetæ, de quo cum quæsisset Tyrannus Hiero quid esset Deus: deliberandi causa sibi vnam diem postulat; cum idem ex eo postredie quæreret, biddam petiit, cum sapius duplicaret numerum dierum, admiransque Hiero, quæreret cur ita faceret, quia quanto inquit diutius considero, tanto mihi res videretur obsecrator, quibus aperte veritatem illam antiquitate celebratam mirum immodum patefecit, videlicet mentem humanam, intellectumque creatum sic quodammodo affectum existere ad mysteria arcana diuinitatis perferenda, vt ad iubar Solis oculos noctuæ; intellectus enim propter imbecillitatem propriam, & propter corporis hebetudinem, quasi propter nebulam caliginemque in diuinis rebus lumen veritatis ne possit intueri impeditur; vnde Regius Vates loquens de hoc negotio, *caligo*, inquit, *sub pedibus eius*; & alibi, *posuit tenebras latibulum suum*, Chaldaice collocavit maiestatem suam.

In caligine recte maiestatem tenebras dixit, quia vere Deus est absconditus, cui hac de causa merito ara potest consecrari, cuius inscriptio sonet *IGNOTO DEO*, & iure Acinon apud Iustinum Martyrem cognominavit.

Porro Damascenus sapienter etiam docuit cum de Deo verba facientes præcellentis negationis vim habere, neque caliginem nobis animo proponere, sed quod lux non sit verum luce sublimior, ad cuius aspectum obtutus mentis obtunditur; vnde Tertulianus in *Apologetico aduersus Gentes*, c. 18. Omnino ignotum nobis nominavit, his verbis:

[Quod vero immensum est soli sibi notum est hoc quod est dum æstimari facit, dum æstimari non capit, ita enim vis magnitudinis, & notum hominibus obiecit, & ignotum, & hæc est summa delicti nolentium recognoscere, quem ignorare non possunt,] sic ille Sanctus Cyrillus, *lib. 1. contra Iulianum*, Hermes Trismegistus dicit Deum intelligere quidem (inquit) difficile, eloqui autem impossibile, incorporeum enim corpore significare omnino impossibile, & perfectum imperfecto comprehendere non possibile, & sempiternum conferre cum momentaneo difficile, proinde si quis incorporeus occultus egrediatur à corpore ad contemplationem pulchri, & subolet ac contempletur non figuram, non corpus, non species intueri quærens, sed illud potius, quod omnia facere potest, quod quietum, quod tranquillum; omnis enim virtus ipse est, neque in aliquo ipsum cogites esse, neque iterum quasi extra aliquem, ipse enim est qui sine termino omnium est terminus, & qui à nullo comprehenditur, igitur manifestum quod magnus sit & potens, omniaque concutiat & confirmet, ignotum autem qualis sit naturæ, neque enim videtur esse lucidissimus sol; neque hic videtur permittere vt ipse cernatur, sed si quis impudenter eum spectet, oculis priuatur, quia omnium rerum occultissimus existit; egrege enim Arnobius, *lib. 1. contra Gentes, de Deo*, [nihil dici aliud & exprimi mortalium potest significatione Verborum, qui vt intelligaris tacendum est, atque vt per vnam te possit errans intelligere suspicio, nihil est omnino mutiendum, da veniam Rex summe tuos persequentibus famulos, & quod tuæ benignitatis est proprium fugientibus igno te, tui nominis, & religionis cultum non est mirum, si ignoratis, maioris est admirationis sitiaris.] sic Arnobius.

Igitur nihil ignotius Deo, nihil igitur notius ipso; vnde sacra pagina altera quadam contrapositione vitur ad hanc vtramque veritatem hominibus manifestandam; nam ad ipsius claritatem ostendendam 1. *Ioannis* 2. lucis nomine appellat Deum ibi; nam Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ, è contra vero alibi à visu, & caligine circumdatum nobis ostendit, vt ipsum esse maxime ignotum patefaciat, *Psalmo* 104. Abyssus sicut vestimentum amictus eius, cui contraponitur locus ille amictus lumine sicut vestimentum, quapropter *Psalmo* 17. dicitur, Posuit tenebras latibulum suum, alibi aperte exprimitur, in sole posuit tabernaculum suum, quibus liquidissime demonstratur, id quod supra proposuimus, nihil esse ignotius Deo, nihil itidem cognitu facilius, & notius eo; quomodo autem hæc duo inter se amicitia vinculo copulenter, elegantissime exprimit Ioannes Cyparissia, *decada* 2. *cap. 7.* Vbi [ex nulla re, inquit, quæcunque illa sit, percipi potest hoc vno excepto, quod per fidem cognoscitur, idque ex iis quæ ab ipso effecta sunt, cognoscitur inquam clarissime quod sit, non quid sit] idem docet his verbis Sanctus Maximus *Centuria prima theologica, cap. 8.* quia hoc ignotatur, quia Deum nullo modo quavis parte mens capere potest, nisi tantum per fidem ex creaturis eius, quod sit non autem quid sit; sic ille, Deus enim quoad an est, euidentissime excitaturis cognoscitur, quoad naturam autem perfectiones, & proprietates proculdubio penitus ignorantur, ac proinde notus & ignotus vere quidem optime nominari debet; vnde si notus in Iudæa dicitur in *Psalmis* ignoto Deo inscribitur in actis Apostolorum, vt vtraque veritas manifestetur, quæ

R 3 propter

propter D. Dionysius cap. 7. de diuin. nominibus, a'lerit Deum cognosci per scientiam quoad an est, & per ignorationem quoad quid est; unde ipse c. 2. de celesti hierarchia, sic ait. [Non quam dissimilibus interpretationibus, quæ negant, ab eisdem scripturis laudibus diuina essentia ornatur. Ut cum eam, vt ita dicam inuisibilem dicunt, immensam atque incomprehensibilem: quæ quidem non quid sit, sed quid non sit significant. Hoc enim mea quidem sententia magis proprie in ea dicitur, &c. idem Basilii oratione de Verbi Incarnatione, quæ habetur tom. 2. Bibliotheca Sanctorum Patrum: [Si quis pietatis (inquiens) sectator est, is quid sit Deus curiose non inquirat, verum ex iis, quæ ab illo facta sunt, eum esse cogiter, illudque certo apud se statuat, siquidem ex procreatarum rerum magnitudine, & pulchritudine illarum molitor, & opifex certa quadam ratione dignoscitur & spectatur.] idem docet Beda, sermone in Psalmum 52, ibi sicut ventorum substantia, &c. D. Hieronymus super illum locum prima ad Timoth. 6. & lucem habitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest, verumque hoc significari declarat, per lucem enim euidentia cognitionis diuinæ, quoad an est, per particulam inaccessibilem obscuritas cognitionis diuinæ, quoad quidditatem denotatur; unde hæc lux, inquit Cornelius noster nobis est inaccessa & sic non lux, sed caligo est; hinc in veteri testamento Deus Moyfi, & Prophetis apparuit in nube, & caligine Exodi 20. vers. 21. Ps. 17. vers. 10. & 12. Posuit tenebras latibulum suum. Psalm. 96. Nubes & caligo in circuitu eius; quæ de re S. Dionysius Epist. 5. ad Dorothæum, caligo inquit lux diuina est inaccessibilis, in qua inhabitare dicitur Deus, hæc est inuisibilis propter eximiam claritatem, & inaccessibilis propter immensam luminis copiam; lux ergo Dei infinita vocatur in scriptura caligo & nubes, quia perstringit oculos nostros, ita vt non magis immensam hanc Dei gloriam intueri possint, quam densissimas tenebras altæ caliginem, seu nubem atram; hæc denique luce Ethnicorum, & perstringuntur, vt tantæ diuinitatis maiestatem ac præstantem diuinitatem perfricata fronte pertinaci iudicio & obdurata mente negare ausi fuerint, cuius pertinaciam, cuius ignorantia tenebras luce veritatis dispellere, ac propugnare præsentis disputatione contendimus, quod vñam nobis concedat splendidissima sapientia Patris; vt autem hoc ab ipso comparare possimus, verbis Arnobij vtamur: O maxime, ô summe rerum inuisibilium procreator, ô ipse inuise, & nullis vnquam comprehensibile natura, dignus, dignus es vere (si modo dignum mortali dicendum est ore) cui spirans omnis intelligensque natura, & habere, & agere nunquam desinat gratias: cui tota conueniat vita genu nixo procumbere, & continuas precibus supplicare, prima enim in causa es, locus rerum, & spatium, fundamentum cunctorum quacunque sunt, infinitus, ingenitus, immortalis perpetuus, solus, quem nulla delineat forma corporalis, nulla determinat circumscriptio qualitatibus, expertus quantitatibus sine situ, & motu, de quo nihil dici, & exprimi mortalium potest significatione Verborum; qui vt intelligaris tacendum est; atque vt per umbram te possit errans inuestigare suspicio, nihil est omnino mutandum. Da veniam Rex summe tuos persequemibus famulos, & (quod tua benignitatis est proprium) fugientibus tui nominis, & religionis cultum ignosce. Non est mirum si ignoraris: maioris est admi-

rationis si sciaris, Fons rerum, sator seculorum, ac temporum, Pater rerum, ac dominus, confisor, moderatorque cunctorum, ô sanctissime vniversi huius gubernator & parens, qui idcirco hominibus animum intelligentia conspique participem donasti, vt immensa potestatis, bonitatis, sapientia tua aliquid in terris simulacrum exaret, & cum reliquæ animantes ad pabulum abiecta ventri seruirent, illi in te contemplando, colendo, & collaudando omnem suam vitam, voluptatem, operam, & cogitationem ponerent, ac collocarent: da, vt quando mortalium nemo maiestatis tue præstantiam animo, & ratione comprehendere nedum sermone disserere, & saltem nihil de te alienum, absurdum, impium, aut medicemur, aut loquamur, nosque tuarum legum præceptis studiosissime parentes à contagione corporum, castos integrasque præstemus, quo vitam celestium in hoc exilio imitari, & olim membrorum nexibus exsolui, atque ex isto corporis ergastulo cuius odiæque dimissi, ad Beatiorum carum consiliumque peruenimus, ubi te coram, & siquis es contemplantes sperata voluptatis magnitudine, ad innumerabilem seculorum ætatem potiamur, dum tamen in hoc orbe terrarum peregrinamur à domino spiritum decimus, vitam transigimus & ære puro fruimur, nostris membris splendidissimum tua cognitionis radium offundere ne dedigneris, nostraque calamo spiritum concedas viuificum, quo scopum rectæ collimantes tua diuinitatis Maiestatem decoremus, dissiparis penitus ignorantia errorumque tenebris rationum vi, Ethnicorum geniumque mentes, ac intellectus manducamus in tanta lucis, & clarioris cognitionem.

## DISPUTATIO XVII.

De Deo Optimo Maximo.

## QVÆSTIO I.

Vtrum demonstrari possit euidentis ratione Deum esse.

## SECTIO I.

Sententia aduersaria ponitur.

**P**RIMA sententia docet nullo modo posse demonstrari euidenter Deum esse, hanc sententiam defendunt Balolis in 1. distinct. 2. quæst. 1. art. 5. & distinct. 3. quæst. 1. art. 3. Adamus distinct. 2. quæst. unica, Maior quæst. 1. conclus. 2. Aliafensis, Dionysius Cirtencensis, Gaspar Celsius & alij multi, probatur sic. Quia omne medium euidentis respectu alicuius debet esse proportionatum tali conclusioni: sed nullum est proportionatum existentiæ diuinæ, quæ medium proportionatum existit: ergo nullo modo potest dari demonstratio de existentia diuina: minor illa sic probatur, quia omne medium quod potest dari, est finitum: sed finiti ad infinitum, vt est Deus, nulla datur proportio: ergo nullum est medium proportionatum ad demonstrandam existentiam diuinam.

Contra